

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIRBRIS||
COMPREHENSA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

VI. De excommunicatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53873)

C A P V T VI.

De excommunicatis.

DE EXCOMMUNICATIS, quod in Ecclesia non sint, docent Catechismus Romanus in explicat. Symboli; Thomas Valdésis tom. I. lib. 2. cap. 9. doctr. fid. antiquæ; Ioannes de Turrecremata lib. 1. cap. 3. summæ de Ecclesia; Ioannes Driedo lib. 4. cap. 2. part. 2. de Script. & dogmatibus Ecclesiasticis, & alij nonnulli. Et probatur PRIMO ex illo Matth. 18. *Sicut Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Vbi Dominus de excommunicatis loquitur secundum omnium expositionem. At Ethnici non sunt de Ecclesia. Item ex illo i. Cor. 5. *Cur non magis lactum habuistis, & tollatur de medio vestri, qui hoc opus fecit?* Et infra: *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Item: *Auferte malum ex vobis metipsis, &c.* Quibus omnibus verbis describit Apostolus, quid sit excommunicari. iubet enim excommunicari eum, qui uxorem patris sui habuerat.

SECVNDO, probature ex Iure canonico, II. q. 3. can. Canonica: *Canonica instituta, & sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei Violatores, auctoritate Dei & iudicio sancti Spiritus, à gremio sancte matris Ecclesie, & à consortio totius Christianitatis eliminamus.*

TERTIO, ex Patribus. Eusebius lib. 5. historiæ, cap. 24. narrans, quemadmodum Victor Papa excommunicauerat omnes Asianos: *Literas, inquit, mittit, quibus omnes simul absq[ue] discretione ab Ecclesiastico fædere segregaret.* Et infra: *Irenæus, inquit, Victorem arguit, quod non recte fecerit, abscondere à corporis unitate totas Ecclesias Dei.* Epiphanius hæref. 42. quæ est Marcionis, loquens de Marcione, qui antequam esset hæreticus, virginitatis professor erat, & tamen corrupit mulierem, quæ virginitatem quoq[ue] profitebatur, & ideo à patre suo excommunicatus fuit: *aproprio, inquit, patre ab Ecclesia exsciscitur.* Erat enim pater ipsius propter excellentem pietatem illustris, et in Episcopatus ministerio honestè vivens perseverabat.

HILARIUS in cap. Matth. 18. in illud: *Sicut tibi sicut Ethnici*

nicus & Publicanus, dicit, Deum sic egisse cum populo Israël, ut Christus moneret agendum. PRIMO enim corripuit populum inter se & ipsum solum, quando apparuit illis cum maiestate in monte Sinai. SECUNDO, adhibuit secum duos testes, id est, Legem & Prophetas. TERTIO, dixit Ecclesia id est, misit Christum summum Praesulem Ecclesiae, qui ledæos obiurgaret. VLTIMO, cum illi Ecclesiæ Praesulem auditent, neglexit eos, ac deseruit, ut Ethnicos & Publicanos. Quibus verbis ostendit, fieri sicut Ethnicum & Publicanum, quod fit per excommunicationem, esse, eiici de populo Dei, & non amplius à Deo gubernari peculiari illa prudenteria, qua gubernatur Ecclesia.

CHRYSOSTOMVS & Theophylactus in hunc locum exponunt, eiici de Ecclesia, quod hic dicitur, fieri ut Ethnicum & Publicanum. HIERONYMVS in caput tertium Titum, dicit, alios peccatores per Episcoporum excommunicationem propelli extra Ecclesiam, quo per seipso sponte eunt haeretici & schismatici. AVGUSTINVS lib. de unitate Ecclesiae, capite ultimo, dicit, excommunicari esse subtiliter praecidi à corpore Ecclesiae. Item lib. de correptione gratia, cap. 15. dicit, per excommunicationem separari ab omnibus sanis morbidam, ne per plures serpentis dira congastratur. Citatur etiam ex Augustino hæc sententia, II. quæst. can. Omnis: *Omnis Christianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur, Satana traditur. Quomodo? quia scilicet extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus.* Cui subscibit Anselmus, qui in cap. 5. primæ ad Corinthios, dicit, mandare hominem Satanæ, esse per excommunicationem eum de Ecclesia pellere.

F.

Probatur VLTIMO ratione. PRIMO, per excommunicationem priuantur homines omni commercio spirituali, quod habent homines Ecclesiæ inter se, ut docet Tertullianus in Apologer. cap. 39. igitur non sunt amplius in ecclesia Ecclesiæ. Quid enim est, ciuem aliquem priuari ciuitatem, nisi priuari omni commercio, quod est inter homines illius ciuitatis? SECUNDO, excommunicatio eum locum habet Ecclesia, quem pena mortis habebat in Testamento veteri & quem habet in temporalibus Rebus publicis: at per mortem separatur homines planè à tota Republica. Augustinus quæ-

quæst. 39. in Deuter. *Hoc, inquit, nunc agit in Ecclesia excommunicatione, quod agebat tunc interfæctio.* Vbi cōfert quod dicebatur Deuter. 24. *Ausferes malum de medio tui, cū eo, quod dicit Apostolus I. Cor. 5. Ausferte malum ex Sibip̄sis.* TERTIO, nulla est pœna grauior, quam Ecclesia infligere possit, excommunicatione, ut B. Augustinus docet, libro de corruptione & gratia, cap. 15. ergo per excommunicationem eiicitur homo de Ecclesia. Nam grauius est proiici de Ecclesia, quam quælibet pœna, quæ de manentibus in Ecclesia sumitur. QUARTO, excommunicatio non potest ferri, nisi in contumaces & incorrigibiles, ut B. Augustinus docet libro de vera religione, cap. 6. Et idem etiam omnes Theologi deducunt ex illo Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, si tibi velet Ethnicus & Publicanus.* Igitur excommunicatio est elec-
tio de Ecclesia; si enim excommunicatio esset pœna aliqua infra electionem, ferreture etiam quandoque in homicidas, adulteros, & alios facinorosos, licet non contumaces. Adde, quod cùm absoluunt excommunicati, dicitur: *Restituo te Unitati Ecclesiæ, & membrorum participationi.* Quod signum est perspicuum, excommunicatum separatum fuisse ab Ecclesiæ unitate.

At contrà obiiciunt. PRIMO, potest homo excommuni-
catus retinere Baptismum, fidei professionem, & subie-
ctionem Prælatis legitimis, atque ad eum amicus Dei, si ni-
mirum sit iniuste excommunicatus: potest etiam iuste ex-
communicatus pœnitentiam agere, & habere illa tria ante-
quam absoluatur; igitur in Ecclesia erit, etiam manens ex-
communicatus.

RESPONDEO, tales esse in Ecclesia animo, siue deside-
rio, quod sufficit illi ad salutem, non tamen esse corpore, siue
externa cōmunicatione, quæ propriè facit hominem esse de
Ecclesia ista visibili, quæ est in terris. Augustinus lib. de vera
religione, cap. 6. *Sape etiam sinit diuina prouidentia expelli*
de congregacione Christiana etiam bonos viros. Quam contu-
meliam, vel iniuriam suam cùm patientissimè pro Ecclesia
pace tulerint, neq; *Villas nouitates, vel schismatis, vel hæresis*
molti fuerint, docebunt homines quam vero affectu, et quam-
ea sinceritate caritatis Deo seruendum sit. Hos coronat in oc-
culo Pater in oculio videns.

SECUNDO obiciunt, quia Augustinus libro contra Donatistas, post collationem, cap. 20. dicit: *Neq; enim à populo Dei separamus, quos vel degradando, vel excommunicandi ad humiliorem pænitendo locum redigimus.*

RESPONDEO, suspicor locum esse corruptum, & legendum esse: Neque enim à populo Dei non separamus. Nam statim sequitur: *Et ubi hoc facere, pacis & tranquillitatis Ecclesia grata non permittimur, non tamen id Ecclesiam negligimus, sed toleramus qua nolumus. Et permittamus quo volvamus, utentes cautela preceptis Dominici, cum voluerimus ante tempus colligere zizania, simul eradicemus & triticum.* Quod si locus hic non sit corruptus, non sponderi potest, per populum Dei hoc loco non intelligi lam Ecclesiam militarem, sed absolutè numerum omnium saluandorum, siue sint in Ecclesia, siue esse possint. Non enim per excommunicationem intendunt Pastores separare homines à numero saluandorum, sed potius ea correctionem iuuare eorum salutem.

TERTIO, excommunicatio est medicina quædam spiritualis, instituta in utilitatem eorum, qui excommunicantur. Vnde Apostolus 2. Thess. vlt. ait: *Quod si quis non obediens a nobis per epistolam, hunc note, & ne commisceamini illo, ut confundatur, & nolite quasi insiticum existimari, sed corrispite, ut fratrem.*

RESPONDEO, excommunicatio etiam si abscondit hominem ab Ecclesia, tamen non auferit potentiam, ut non possit iterum inseri in Ecclesiam, qui praecisus est, si poenitentiam agere velit. Idcirco Ecclesia per excommunicationem separat quosdam à suo corpore, sed in utilitatem eorum, qui cupit eos illa confusione humiliari, & humiliatos iterum suum corpus recipere.

C A P V T VII.

De predestinatis.



AM VERO, quod non soli predestinati, sed etiam reprobri ad Ecclesiam pertinere possint, coni VViclefum, & Huss, & Caluinum, probatur PROMO ex parabolis Domini apertissimis. Compars